



B. 191.

32  
4.  
5.  
5a  
5b  
5c  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.

xxx.

56

POLYMNEMONES  
SIVE  
**MEMORIAE  
DIVINIORIS**

EXEMPLORUM PLVS CENTVM

EX VARIA

PRAESERTIM ERVDITORVM HISTORIA  
DEPROMOTORVM

**CONTINVATIO  
ALTERA**

QVA AD

**ORATIONEM PVBLICAM  
IN GYMNASIO STADENSI**

AD ID MAI HORIS POST MERIDIEM CONSVETIS  
BENEVOLE AVDIENDAM


*QVANTA DECET OBSERVANTIA ET HVMANITATE*  
INVITAT

**MICHAEL RICHEY**  
RECTOR

---

STADEAE OPERIS HOLVVEINIANIS  
A CIO IO CC X

POLYHYMNONES  
SAE  
**MEMORIAE**  
**DIVINORIS**  
EXEMPLORUM PLAS CENTVM  
EX AARIA  
PRAESES RITM BRADIDORVM HISTORI  
DE PROMOTORVM  
**CONTINAVATIO**  
**ALTERA**  
ORATIONE PABLICAM  
IN GYMNASIO STUDIENS  
AD ID MASI HORIS POST MERIDIEN CONSERVAT  
BENEDICTE ADIDENS  
RUMINA DECRET OFICINARIA ET MUNIMENTA  
INITIA  
**MICHAEL RICHEY**  
RECTOR  
STUDIORUM HOLLAEBINENS  
A CD 1600



Antus quidem portentorum numerus est, quae historiam memoriae humanae illustrant, ut mihi iam tertium de illis scribenti quaedam argumenti satietas apud lectorum metuenda videatur. Tamen cum ipsa exemplorum copia benignitatem naturae ostendar, nescio, an ea nos deceat rerum memorabilium negligentia, ut segniores simus in cognoscendis, quam fuit natura in producendis. Nouam igitur, Lector benevolē, polymnemonum collectionem accipe, diabūs prioribus addendam, qua aere tuo nunc exire, & telam abhinc biennio destitutam pertexere annitor. Vrgent exempla non minus praeclara, non minus diuina, quam quae in superioribus consignauī, dignasane, quae hanc predeundi occasionem non frustra nanciscantur. Evidēt ipse, nullo licet monitore, satis intelligo, quam parum gloriae ex eiusmodi scriptiōnis genere aucupari possim, in quo locus omnis labori, ingenio nullus datur: attamen cum aliquam saltem historiae naturalis particulam tenuis haec opera illustrare vīsa sit (1), facile patiar, mihi

A scri-

(1) Per opportuna venerunt priora duo Programmata nostra iuueni nobilissi, Io. Iacobo Auraschero, Veneto, cum A. 1708 in Academia Altdorffina, auspiciis V. Cl. Io. Guil. Baseri Phys. & Math. P. P., dissertationem physico-historicam *de Memoriis* docte ac eleganter a se elaboratam publice expōneret. Pleraque enim ex iis in rem suam conuertit, nomen nostrum candide professus; addiditque nonnulla, forsan, ut ipse putat, illius resora:

scribenti ad laudem nihil non deesse, dummodo ad sapientissimum naturae auctorem omnia transferantur. Deus enim tam insignia naturae artisque prodigia non existere tantum iussit, sed cognosci etiam ac celebrari; nec ipsa eorum multitudine fastidium mouere voluit, sed admirationem. Quodsi vero, Lector amice, ideo haec scriptio tibi non arrideat, quia rogatu tuo non susceptra; aut si tot exempla legere te pigeat, quot naturam non piguit producere, cogites quaeſo, a me dandam fuisse operam, ut, quod filum tibi non placet deducatum, idem saltem aliis non displiceret abruptum.

Augustum igitur nouae continuationis initium nascitur ab Aelio HADRIANO, Imperatore Augusto, de cuius memoria plane diuina ynus (2) nobis audiendus est Aelius Spartanus. Fuit, inquit ille (3), memoriae ingenis, facultatis immensae: nam & ipse orationes dictauit (4), & ad omnia respondit. — Nomina plurimis sine nomenclatore (5) reddidit, quae semel & congregata simul audiuerat, ut no-

mencla-

*ptiora: ex quibus siqua ante vnam eius Dissertationem nondum a nobis ipsi notata fuerint, eodem candore infra ἐπερπλέπονται ei accepta referemus. Pace*

*autem clariss. Auracheri admonebo, falli cum, cum ex nostra citatione coniicit, Car. Frid. Pezoldum in Diss. de Memoria memorabilis, Lipsiae A. 1699 edita, exempla non adeo multa congeriisse. Aliud ipsi constare potuit: ex Chr. Franc. Paullini Philosophischen Geherabend pag. 665 sqq. quem dixi more suo Pezoldum, licet ne nominatura quidem exscriptisse. Mihi vero ingenue fatendum est, inter omnes, quorum symbolis ad hoc argumentum vti licuit, neminem mihi obfigisse Pezoldo copiosorem.*

(2) Nonnulli hic imprudenter allegant etiam Suetonium, quos scire oportebat. Suetonium, cum in Domitiano desicerit, Hadrianum non attigisse. Redius, si opus esset, allegari posset Aurelius Victor, qui eam in rem haec pauca: *Memoř supra quam cuiquam credibile est, locos, negotia, milites absentes quoque nominibus recensere.* Victorem exprefit Morerius in Lexico, sed paullo longius progressus, indec accutissimo Baylio in Dictionar. T. II. p. 1455. not. (A) fin.

(3) In vita Hadriani, Tomo I. Scriptor. Hist. Aug. p. 186. sqq. edit. Lugd. Bat. 1671. 8.

(4) Alii scilicet Imperatores in dictando orationibus & reſcripts formandas alieno ingenio vrebantur, vt de Traiano scribit Julianus.

(5) Nomenclatores apud Romanos varii erant. Habeant Candidati ejusmodi monitores, vt gratiae acupandae caufa vnumquemque ciuem suo nomine compellare possent; de quibus Rosinus Lib. VII. Antiquit Rom. cap. 8. Alii aderant Imperatoribus, cum ad falutationem certis diebus eam plebem admitterent, qualem nomenclatorem intel-

menclatores saepius errantes emendauerit. Dixit & vetera orum nomina,  
quos aliquando dimitserat. Libros statim lectos & signatos quidem plurimis  
memoriter reddidit. Vno tempore scripsit, dictauit, audiuit, & cum ami-  
cis fabulatus est (6). Omnes publicas rationes ita complexus est, ut domum  
priuatam quinque paterfamilias diligens non satis nouit. Alias idem Spar-  
tianus Hadrianum praedicat poematum & literarum omnium  
studiosissimum; arithmeticae, geometriae, picturae peritissi-  
mum; psallendi & cantandi scientiam prae se ferentem; carmi-  
num multorum & librorum scriptorem; oratione & versu prom-  
tissimum, & in omnibus artibus peritissimum; cum ipsis Profes-  
soribus & Philosophis saepe certantem (7). Quae omnia eiusmodi  
sunt, ut Hadriano non tantum inter Principes doctissimos locum  
faciant, sed vastam quoque memoriam eius ostendant. Sine  
praestantissimo enim memoriae subsidio fieri non potest, ut quis  
amplo polymathiae pelago ita se committat, ut vna scientia aliam  
demergere non videatur.

Atque haec ratio est, cur memoria

plus quam humana valuisse credam HIERONYMVM Strido-  
niensem, Patrem saeculi quarti, & Erasmo iudice, omnium Chri-  
stianorum fine controversia longe tum doctissimum tum facun-  
dissimum. Tot enim exhaustus scientias (8), tot linguas calluit,

A 2 rot

intelligit Casaubonus ad h. I. Mihi vero Spartanus ad militiam respexisse videtur,  
in qua nomenclatoribus vtebantur Imperatores, ad suggesta militum nomina,  
quod & supra indicavi, vbi de Cyro. Cuiusmodi nomenclatores hodieque in recensu  
ac delectu militum adsunt, qui nobis vocantur Master. Schreibere.

(6) Reperta hic sunt in editionibus quibusdam adiecta verba: si credi posse. Quae licet  
Spartiano tribuere codices MSS. vetent legentem tamen quid vera cogitare? Quan-  
uis maiora fere de C. Iul. Caesare supra ex Plinio retulimus. Auger prodigium in  
Hadriano Misander in Delic. Histor. p. 212. atque non Graece tantum & Latine, sed  
versu etiam dum aliud ageret, cum peregrinis collocutum fuisse. Nihil vero tale  
prodidit Cuspinianus, quem allegavit quidem Misander, sed non infexit,

(7) Loc. cit. pag. 144. 145. 149.

(8) Ego, inquit advers. Ruffin. Apolog. II. pag. 213. Philosophus, Rhetor, Grammaticus, Dia-  
lecticus, Hebreus, Graecus, Latinus, Trilinguis: vere magis, quam iactanter: quod  
enim praecepsum, Theologus erat consummatissimum: imo etiam plusquam trilin-  
guis, orientalium scilicet ceterarum quoque non ignarus. Vide quae de Hieronymo  
Syriace docto, contra Gennadium, Widmannstadium & Waltonum disputat Andr.  
Mullerus Greiffenhausius in Symbolis Syriacis pag. 23.

tot libros legit, tot scripsit volumina, ut capacissimum memoriae  
penum fuisse oporteat, qui tot rebus, siue condendis, siue expro-  
mendis suffecit. Quapropter non est opus suspecto illo testimonio,  
quo alii ad laudandam Hieronymi memoriam vtuntur, ex quadam  
Augustini (9), vt putant, epistola ad Cyrillum Praesulem Hie-  
rosolymitanum : *Bene magnus appetet in sapientiae ineffabilis profun-  
ditate. Liberales autem scientias ita perfecte sciuit, quod relatione omnium  
nullus adhuc sibi similis appetet.* De scripturis vero sacris (vt in multarum  
suarum epistolarum, quas ad me direxit, experientia didici) aequaliter sibi  
neminem unquam noui. *Hebraicorum, Graecorum, Chaldaeorum,  
Persarum & Medorum, Arabicorum, & pene omnium nationum linguas  
& literas, tanquam si fuisse in eisdem natus & educatus, sciuit.* Quid  
plura dicam ? *Quae Hieronymus ignorauit in natura, nullus hominum  
unquam sciuit.* Sed quid te moror his ineptiis ? Lector bene-  
uole, quin statim ab indignatione encomii tam barbari ac  
immodici te reuoco commemoratione HIPPIAE Elei, Sophistae  
acerrimi, qui Socratis aetate vixit. Hic, vt refert Cicero L. III.  
de Oratore, § 32, cum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali  
cele-

---

(9) Imo potius insulsi cuiusdam impostoris, qui Augustini quidem nomen mentitus, nec  
stilo autem, nec prudenter Augustinum affectus est, adeo, vt ignoraret, Cyrillum ante  
Hieronymum obisse. Epistolam hanc de magnificis admirandisque sancti Hiero-  
nymi virtutibus, iam olim spuriam notarunt Theolog. Louanienses, candemque  
ex numero Epistolarum D. Augustini expunxerunt, & cum aliis eiusdem farinae in  
appendicem peculiarem concicerunt. Idem postea fecit Lucas Frid. Reinhartus  
Theologus Aldorfianus, qui Epistolas Augustini seorsim euulgauit Aldorfii A. 1668.  
4. itemque Patres Benedictini, a quibus spuria isthaec appendix auctior annexa est  
Tomo II. Operum Augustini, splendifissime editorum Parisiis, nec minori cura in  
Belgio recusorum, vbi illa ad Cyrillum epistola in ordine duodecima est, apud  
Reinhartum vero secunda. Incaute igitur ad illud Hieronymi elogium, tanquam  
a Praesule Hipponeum scriptum, prouocant Clariss. Pezoldus in Diss. de Memor, me-  
morab. p. 25. & nobiliss. Auracherus in Diss. sup. laud. vterque, vt appareat, Drexel-  
lum secutus, in Aurifod. P. I. cap. 2, vbi tamen in plenisque, quae seorsim habentur,  
editionibus discreta annotatum est, quod revera non videatur eam epistolam Au-  
gustini calamus effuisse. Adde Dupinium in Biblioth. Auctor. Eccles. T. III. edit.  
Latin, p. 243. fin. qui istam Pseudo-Augustini epistolam in eorum numero ponit,  
quae ab omnibus hodie, ut putidissima scripta, & fabulae insulsissimae esst, silentur.  
Quod iudicium Cl. Auracherus, licet Dupinium ipse citans, non animaduertit,

celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse vlla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret. Quin etiam senescens tanta fuit memoria, ut proverbum enatum sit, quo ille, qui animi ultra modum tenacis esset, *Hippiam ipsum memoria vincere dicere* (10). Modica tamen sunt & ad solam ostentationem referenda, quae de eo ex Platone (11) & Philostrato iuniore (12) cognoscimus, potuisse scilicet quinquaginta (13) nomina semel audita, eodem quo audiuisset ordine, ex memoria reddere. Neque vero sola naturae facultate hoc asseditus est Hippias, sed artis cuiusdam aut medicinae subsidium adhibuit, quod ex scriptorum testimoniis manifestum est (14). Quae alia de eodem Hippia admiranda traduntur

A 3

tur

(10) Idem de Simonide infra. De Hippia quidem ab adiutorioribus plane prae-termissum. Sed Aeneas Gazaeus: μυηπονιδὸς δὲ μᾶλλον τὸ Ιππίου ἐφάνεται in Theophrasto pag. 11. edit. Lips 1655. 4. quo in loco nescio an quis proverbialem locutionem obseruerit ante lo. Nicolaum Loesnem, quem vide lib. VI. Epiphyllum cap. 9. ap. Gruter. Tom. V. Lamp. crit. p. 499. Barthius ad Gazeum censeret, non sicut si le hoc proverbiū in hominem iactantem ex Platone sumtum esse. Non assentitur autem Borremansius. Var. Lect. pag. 17. eo quod inde concludi videatur, omnes, qui Hippiae memoria similes esse dicuntur, iactatores esse. Sed ego illud αἰσθάνομαι numquam arbitror Barthio in mentem venisse. Licer enim haud videam, cur in Dialogo Gazei proverbiū istud ad arguendam iactantiam trahi debeat: Barthium tamen puto ad fontem proverbiū apud Platonem loc. citand. magis respxisse, vbi Hippiam iactabundum nemo non agnoscet. Talem etiam depinxit Loensis, & subarguit Cicero III. de Oratore. Ceterum an Barthii diligentiae in re literaria plus forsitan, quam iudicio debeamus; Borremansio l. c. dicenti confirmandum relinquimus.

(11) In Dialogo, qui inscribitur *Hippias Major*, vbi Hippiam introducit Plato arroganter multa gloriantem, sed a Socrate idoneis rationibus, de eo, quod in vita institutis vere palchrum est, conuidum.

(12) In viuis Sophistarum L. I. num. XI. pag. 495. editionis instructissimae Opp. Philostratorum, qua nuper orbem eruditum donavit Gottfr. Olearius. Meyān  
Χάρης αὐτῷ!

(13) Πλεύτηρα apud Platonem & Philostratum. Male 500. ap. Koenigium in Biblioth. V. & N. p. 405. quem fecutus Auracherus.

(14) Socrates ad Antisthenem, apud Xenoph. in Sympos. p. 169. T. V. Opp. edit. Oxon. in 8:  
αὐδα δέ σε (Καλλίαν προσγαγένεσατα) Ιππία τῷ Ηλείᾳ, παρ' οὐ  
γέτο τῷ μυηπονιδὸν εμάζετε. Sic idem Socrates ad ipsum Hippiam, apud  
Plato.

tur (15), praetereo. Adest enim Q. HORTENSIVS orator apud Romanos praestantissimus, & rex causarum obloquentiam dictus, cuius frequens est in veterum scriptis mentio (16). Memoriam tanti virilaudarunt quidem multi; nobis vero vnuis instar omnium testis erit Cicero, qui Hortensi ciuis ac aequalis fuit, ipsoque floriente in forum venit. Ita vero ille (17) : Hortensius, cum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad maiores causas adhiberi coepit est. — Primum memoria ranta, quantam in vlo cognouisse me arbitror, ut, quae secum commentatus esset, eas sine scripto (18), verbis eisdem redderet, quibus cogitauisset. Hoc adiumento ille tanto sic vtebatur, ut sua & commentata & scripta, & nullo referente, omnia aduersariorum dicta meminisset. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim. Nullum enim patiebatur esse diem, quin

Platonem in Hippia Maiore: ἀλλ᾽ ἐγὼ δικαιόνος, οὐτὶ τὸ μνημονικὸν ἔχεις intellige in vitroque loco: τέχνης, quod licet ex eodem Platone in Hippia Mi-  
nor, vbi Socrates, vanam hominis περιεργίαν deridens, sic ait: κάπιτο τὸ γέ-  
νος μνημονικὸν ἐπελαζόμενος, οὐδὲ τέχνης, εἰ δὲ σὺ τὸν λαμπρότα-  
τος ἕνας. Ammianus Marcellinus ait, scriptores variis memorare, Cyrus, Simo-  
nidem, Hippiam ideo valuisse memoriam, quod eposis quibusdam remedii id impetrar-  
unt, L. XVI, c. V. p. 90, edit. Gronou, in fol.

(15) Scilicet quod in opificiis etiam, & artibus cellulariis ita fuerit exercitatus, ut tunicam, balteum, pallium, crepidas, annulum, ampullam oleariam, strigileculam, aliaque vresilia ipse sua manu solus sibi quam ornatissime conficeret. Qua de re, praeter Ciceronem L. II. de Oratore §. 32. Quintilianum L. XII. c. 21. Lucianum in Hippia seu Balneo T. II. Opp. p. 334. edit. opt. Amst. 1687. 8. Dionem Chrysostomum Orat, LIV, & LXX. Hieronymum in Epitaphio Nopotiani; legi mereatur Apuleius in Floridis p. 346. edit. Elmenhorst, ex quo Ian. Nic. Erythracus Pinacoth. I. p. m. 294. qui in Pinacoth. II. p. m. 58. exemplum sere maius exhibet in ful. Caef. Bottifanga. Nos de Helmontio iuniori non dissimile quid alibi attulimus.

(16) Vido quos allegat Hofmannus in Lexico.

(17) In Brut. §. 88. Meministi etiam memoriae Hortensi L. I. Tuscul. §. 24. & L. II. Aead. Quæst. §. 1. vbi cum Lucullo consenserit, Hortensem verborum, Lucullum rerum maiorem habuisse memoriam scribit.

(18) Non satis accurate igitur verba Ciceronis expressit Petrus Mellias Hispanus, eiusque interpres Italus Franc. Sanfouinus, nella Selva di varia lettione p. m. 242. nel modo, che pensava l' oratione, la scriveva dopo, e cosi la diceva, senza troncare parola. Hacten enim minuunt admirationem facultatis quae in Hortensio fuit.

quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. Saepissime autem eodem die utrumque faciebat. Attuleratque minime vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius; partitiones, quibus de rebus dicturus esset, & collectiones, memor & quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset. Erat in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus: eaque erat cum summo ingenio, tum exercitationibus maximis consecutus. Rem completebat memoriter, diuidebat acute, nec praetermittebat fere quidquam, quod esset in causa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum. Non possum quin addam, quae plane mira refert Seneca (19), Hortensium aliquando, a Sennena prouocatum, in auctione per sedisse diem totum, & omnes res, & pretia, & emtores, ordine suo, argentariis recognoscens, ita ut in nullo falteretur, recensuisse. Post Hortensium, censer Nob. Auracherus (20), inter polymnemones locum quoque dandum esse Ioanni HVLSEM ANNO, immortalis memoriae Theologo, inductus iis, quae a B. Scherzero in praefat. ad Hülsemanni *Vindicias S. Scripturae Lipsiae 1679.* 4. editas, itemque a Theoph. Spizelio in *Templo honoris reservato in laudem summi doctoris dicta* sunt. Addit autem, optimum virum tandem adeo omnem amississe memoriam, ut in sacro concilio aliquando nomen suum scripturus, aliud nescio quid in chartam coniecerit. Quae quidem rumore duntaxat nuntio se audiuisse Auracherus fatetur; diserte tamen istam memoriae in Hulsemanno iacturam confirmat Car. Frid. Pezoldus in *Diss. de Oblivione memorabili* (21).

Quae a nonnullis ludaicarum fabularum amatoribus traduntur

(19) Lib. I. Contravers. in procem, p. 73. T. III. Opp. edit. Elsevir. c. not. var.

(20) In *Dissert. de Memoria c. III. §. 9.* p. 5f.

(21) Cap. III. Segn. III. §. 6. Addo, quae habet Th. Crenius P. VI. Animaduers. Philol. & Histor. p. 200. Deficisse quoque memorabilem virum B. Io. Hülsemannum memoriam (qua alias, teste B. Calouio in praefatione, Hülsemanni Commentario in Ieremiā praemissa, erat excellenter praeditus) aliquod ante tempus, primum spiritum poncret, relatum nobis a fide dignis scimus, et si id a quopiam memoriae traditum non inuenimus, certis de causis.

de IESV quodam Sacerdote magno, Esdrae filio (22), qui Iudeis ex carcere Babylonico redeuntibus vniuersa scriptorum sacrorum monumenta, plane ab hostibus deleta, non sine numine, memoriter reddiderit; ea talia sunt, ut eodem labore reiecta videantur, quo supra confutauimus eos, qui in ipso Esdra tantum prodigium commenti sunt (23). Longe certius exemplum praebet caecus ille IOANNES Aegyptius (24), constantissimus veritatis Christianae testis, imperante Maximino ad metalla damnatus, ac tandem capite truncatus. Admiranda omnino sunt, quae de eo refert Eusebius (25), nec pigebit verba integra ex Henr. Valesii interpreta.

(22) Ita eum vocant, qui Esdram & Iosedechum pro uno eodemque habent, ex collat. 1 Chron. VII. 14, & 1 Esdr. VII. 1, quos tamen alii rectius tanquam fratres distinguunt, vid. Leon. Coquii Commentar. ad Augustin. de Ciuit. Dei L. XVIII. cap. 36. ad quem locum Augustini Ludouicini Viues, auctoritate Hieronymi & Eusebii, in nugis de Iesu illo dilapsus est.

(23) Auctoriis illis a me citatis addi potest *Ioannes Antiochenus*, cognomento *Malala*, scriptor, ut videris, sieculi IX, quem video medium quadammodo sententiis intercedere, & neque libros sacros omnino omnes a Chaldaicis deletos, neque plane nullos libros ab Esdra memoriter restitutos demonstrare. Ita namque de Antaxerxe scribit: ὥτιν (τῶ Εσδρᾶ) καὶ τὰ ἱερά σκένη ἔδωκε, καὶ τὰς βιβλίους τὰς ἱεράτικὰς τὰς ἐπεφύσας ὁ δὲ αὐτὸς Εσδρᾶς τῶν μὴ ἐπεφύγετων βιβλίων ἀπὸ ὑπομίκτες αὐτῷ γράφεται τὰ ὑπομίκτα ἐπόισεν, in Historia Chronica P. I. p. 204, edit. Oxon. 1691. 8. Quid vero? si τὰς βιβλίους τὰς ἱεράτικὰς, h. e. *libros sacerdotales* in hoc Malala loco interpretemur non τὰ ἱερά γράμματα sive *libros biblicos*, sed forte codices liturgicos, rituales, aut alios in sacerdotum bibliothecis ad templum asseruatos, quorum aliqua pars & amitti potuit, & ab Esdra ex memoria restitui? Rem iudicandam relinquo lectori docto & Hebraicarum antiquitatum probe gnaro, qui videbit, quid intersit inter libros veterum Iudeorum hieraticos & inter ipsum codicem diuinum; item an ex hac distinctione mitigari possit eorum sententia, qui pro ipso codice sacro ab Esdra restituto tot Patrum testimonis contendunt.

(24) Vulgo *Palaestinus* a Sim. Maiolo p. 79, Dier. Canicular. & aliis dictis, forte ideo, quod in Palaestina inter Christians ad metalla damnatos vitam degit, & ab Eusebio Martyribus Palaestinac accentus est. Meminit quoque huius Ioannis Menacum Graecorum ad d. XX. Septemb.

(25) In libro de Martyribus Palaestinæ cap. XIII. (quod aliis est cap. XXII, libri VIII, Historia Eccles.) pag. 343. sq. edit. Valesi.

pretatione huc afferre : Erant una cum illo (Syluano) Aegyptii complures : inter quos fuit Ioannes quidam, qui prae cunctis nostrae aetatis hominibus memoria valuit. Et hic quidem iam ante a luminibus erat orbatus. Nihilominus tamen in confessionum certaminibus, in quibus maxime enituit, cum ipsis perinde ac ceteris alter pedum candente ferro debilitas esset, oculi quoque, licet lumine orbati, cauterio perusti sunt ; crudelitate scilicet & inhumanitate carnificum ad id usque feritatis ac diritatis progressa. Porro hunc virum ob mores quidem & Philosophicam viuendi rationem nihil attinet praedicare, praesertim cum huius rei causa non tantum admirationis sit consecutus, quantum ex memoriae praeflantia. Quippe qui totos diuinae Scripturae libros non in tabulis lapideis, quemadmodum ait diuinus Apostolus, nec in membranis animalium, aut chartis quae vermis & longinquitate temporis consumuntur, verum in carnis cordis tabulis, in anima scilicet candida, & in purissimo mentis lumine perscriptos habuerit. Adeo ut quoties veller, interdum legis Mosaicae, interdum Prophetarum libros ; nonnunquam sacrae historiae locos ; alias Euangelica & Apostolorum scripta memoriter, velut ex literario quodam penitus proferret. Fateor certe, obslupuisse me, cum illum in frequentissimo Ecclesiae coetu medium stantem, & quosdam diuinae Scripturae locos recitante primus vidi. Etenim quamdiu quidem vocem duntaxat hominis audire mihi dabatur, quaedam illum, ut in Ecclesiastico coetu moris est, legere existimabam. Verum ubi proxime accedens id quodres erat deprehendi, certos quidem, qui in circuitu astabant, integra oculorum acie pollere, illum vero solis intelligentiae oculis praeditum, instar Prophetae cuiusdam, oracula edere, & reliquis corpore valentioribus multo praeflare ; facere omnino non potui, quin Deum summis laudibus efferrem ac praedicarem. Haec Eusebius. Adeo quidem mentis aciem homini non ademit caecitas, ut potius credam magno suisse ad memoriam adiumento. Attamen non dubito, fore oratores per paucos, qui, ut fideliori memoria vtantur, praetendent caeci esse, aut decorum ducant, clausis subinde vel defixis oculis in concione dicere : licet manifestum sit, res animo conceptas facile imaginum oculis obiectarum va-

B

riestate

rietate turbari; licet etiam Cicero, nihil in caecitate mali esse, speciose affirmet (26). Feliciores sane illi, quos videntes vegetosque ad tantum fastigium vel natura vel exercitatio subuexit. Talis erat ISEAUS *Affryius*, Rhetor Atheniensis (27), quem ita laudat Plinius iunior, ut imaginem perfecti pariter oratoris ac polymnemonis expressissime videatur (28): *Poscit controvexas plures, electionem auditoribus permittit, saepe etiam partes: surgit, amicitur, incipit. Statim omnia, ac pene pariter ad manum. Sensus reconditi, occurſant verba, sed qualia? quaefusa, & exulta. Multa lectio in subitis, multa scriptio elucet: proœmiatur apte, narrat aperte, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelse.* Postremo docet, delectat, afficit, (quod maxime dubites) *crebrae evocata rora, rora, crebri syllogismi, circumscripti & effecti: quod si lo quoque assequi magnum est. Incredibilis memoria, repetit altius quae dixit ex tempore, ne verbo quidem labitur. Ad tantam ergo studio & exercitatione peruenit* (29). Nam diebus & noctibus nihil aliud agit, nihil audit, nihil loquitur. Non minor gloria fuit IVLIANI Imperatoris, qui vtinam praeclaris naturae dotibus a Deo sibi concessis ad salutem potius reipubl. Christianae, quam ad suam aliorumque perniciem vsus fuisset! Quanta enim in eo ingenii ac memoriae vis fuerit, satis ostendunt studia eius amplissima, & scripta omni genere eruditio plena (30). Tum Euna-

(26) Lib. V. Tusc. Qu. §. 38. Quibus adde que lusit Io. Passeratus in laudem cecitatis.

(27) Hunc caue confundas cum Iseao, Rethore idem Atheniensum præstantissimo, & Demothenis præceptore, de quo Philostratus. Nostrum Asyrum Suidas ait vixisse sub Hadriano, & multa scriptissime; id quod cum acetate Plinii congruit, qui de eo testatur *autobiographia*.

(28) Lib. II. Epist. III.

(29) Habet igitur exemplum, quo confirmantur ea, quæ prudentissime dixit Io. Lud. Viues in Epist. II. de ratione studii ap. Crenium T. I. Methodor. p. 122: *Nemini tam infelix contingit memoria, qui non eam fidelissimam possit reddere exercitatione. Nihil est enim, quod magis opere & labore gaudeat, nihil quod faciliter corrupatur & intereat, quæcunque ac otio. Quocirca aliquid quoridam edendum est, etiam quæcum non est necesse: tantum ne torpor in memoriam inuadat, quo nullus est illi morbus perniciosior.* conf. ibid. p. 108.

(30) Q[uod]orum editionem instrutissimam debemus, post Dion. Petarium, illustri Ezech. Spanhemio, euulgatam Lips. 1696, fol.

Eunapius in vita Maximi, qui Iuliano praceptor datus fuit, testatur (31), Iulianum adhuc puerum, quidquid librorum proferebatur, memoria complexum fuisse, ita ut praecocem eruditionem aegre ferre magistri viderentur, quasi non habituri, quod puerο in fillarent; moxque nec illos, quod docerent, nec Iulianum, quod amplius disceret, habuisse. Imo Ammianus Marcellinus, si quid olim antiquioribus quibusdam ad memoriam consequendam potionis alicuius medicatae haustus profuerit (32), credendum esse, inquit, bunc etiam tum adultum, totum memoriae dolium (33), si usquam reperiri potuit, exhausisse.

Christianum KORTHOLTVM Theologum quandam Kilo-

B 2

nensem

(31) In viuis Philosophorum, pag. 88. interpretationis Iunianae, edit. priim, Plantin. 1568. 8.

(32) Apparet, perantiquum esse medicum illud memoriae subsidium. Quamquam vero nemini auctor esse velim, ut in memoria sua iuandia pharmacorum virtutibus experietur: nos semel enim vidi, ascitum illum cerebri vigorem in obliuiosam senectutem desisse. Si quis tamen sibi persuadeat, sine omni periculo fieri posse, ut memoriae suae aliquod gluten ex pyxide pharmacopolas admisceat, ei consilium dabit Caspar Marchius Medicus celeberrimus, in Acad. Rostoch. quandam P. P. & postea Archiate Brandenburgicus, a quo praescripta cereusia mnemonica, vinum mnemonicum, rotulæ mnemonicæ, ac balsamus nobilissimus cephalicus & mnemonicus commendantur Detl. Cluero in Vindictis Artis mnemonicæ haud pridem euulgatis. Mihi vero, saluis Medico, um praescriptis, semper placuit illud Desid. Erasmi consilium, quo vellem iuvenes omnes artium studiofios ad memoriam iuandam vti. Ita vero ille in aureo libello de Rarione Studii cap. IV. §. 5: *Neque negligenda memoria, lectio thesauros. Eam tamen loca & imaginibus (addo & medicamentis) adiuvari non inficior, tamen tribus rebus possimum confat optima memoria, intellectu, ordine, cura. Siquidem bona memoriae pars est, rempenitus intellectisse. Tum ordo facit, ut etiam quae semel exciderint, quae postlimino in animum reuocemus. Porro cura omnibus in rebus, non hic tantum, plurimum ualerit. Itaque quae meminisse velis, ea sunt attentius ac crebrius relegenda, deinde saepius a nobis ipsis exigenda, ut si quid forte suffugerit, id restituatur.* Addo, quae ex Io. Lind. Viue artuſe paulo superius, not. 29.

(33) Non existimem cum Frid. Lindenbrogio, alludere Ammianum ad dolium Pandoræ. Huic enim non dolium, sed pyxidem tribuunt Poetæ, quod vasculum est exile, dolium vero vas capax & ventricosum. Nec potionis notio conguuit cum iis, quae pyxide Pandoræ continebantur. Dolia duo in limine Iouis posita memorat Homerus Iliad. vlt. v. 527. 528. sed ea itidem hic locum non inueniunt. Dolium igitur memoriae crederem ab Ammiano dici omnem illum potionis medicatae apparatum, quo memoria augeri possit.

nensem inclytissimum aiunt tanta fuisse memoria, vt aliquando spondere ausus fuerit, totum se codicem Bibiorum Hebraicum, si omnium exemplorum iactura facta esset, ad minimum vsque apicem restiturum esse (34). Vereor autem, ne hac in parte viro optimo plus fuerit fiduciae, quam facultatis: poterant quippe isthaec confidentius dici, cum ideo nemo optauerit rem eo deduci, vt necesse sit periculosam eiusmodi restitutionem experiri. Facilius fortassis res succederet in Bibliis Germanicis, quorum defectum omnem ex memoria se resarturum esse Christianus LANGIVS, Doctor olim Theol. Lipsiensis dixisse fertur (35). Quamuis ea res non multum prodigiū habitura esset, siquidem non breui aliqua aut rara, sed crebra & per omnem vitam repetita lectione efficieretur. Frequens enim & diurna lectio tandem librum quemvis facile nobis familiarem reddit, & memoriae imprimit etiam infeliciori. Ita Iuslus LIPSIVS Cornelium Tacitum, quem ab ineunte aetate prae omnibus aliis scriptoribus deperibat (36), totum plane edidicit, adeo vt vitae sua discrimen spondere aliquando ausus fuerit, si recitans in vlo vocabulo errare deprehenderetur. Audini, inquit Erythraeus (37), de eo, qui sermoni se interfuisse narrabat, in Germania, cum esset apud principem nescio quem virum, ac die quodam inicceretur mentio de Tacito, gloriantem Lipsium dixisse, se aureum illud volumen adeo memoria comprehensum habere, vt nihil ex ea transquam exciderit; quin etiam spensionem lacefuerit, mita esset, ut diceret; atque: Agite, inquit, statuite hic

(34) Audini haec aliquando ex Viro maxime reuerendo, cum de Memoria in Gymnasio nostro publice diceret. Apud alias vero, qui memoriam Kortholti renouarunt, nihil eiusmodi confignatum reperio.

(35) Idem & de B. CALOVIO saepius se accepisse tradit Auctor der denkwürdigen Begebenheiten Num. VII. p. 52. Addit tamen, grauem dubitandi causam subesse. Sed nescio, an minus dubia sint, quae ipse subiungit: daß man schwerlich ein Pferd finden würde/das nur ein einziges von jedem seiner (Calovii) editen Tractaten forbringen sollte. Saltem nobis tantum pictatis debet videtur memoriae Theologij meritis, vt scriptorum eius, si virtutem non capimus, solam molem non suspiciamus.

(36) Vid. Morhof. L. IV. Polyhist. literar. c. XIII. p. 190.

(37) Pinacoth. III. n. 1. pag. 2.

bic aliquem cum pugione, ac, si, Cornelium totum recitans, verbum unum peccauerо, non recuso, quin eo me ille pugione confodiat; ac sponte ingulum vel pectus, quod ferire possit, aperiam. Magnam profecto memoriae fiduciam! quae parum abest a temeritate. Non desuere tamen plures, qui libros integros, valde sibi charos, memoriae mandarunt (38); quos omnes ideo ad prodigia memoriae referre inconsultum esset.

Plus admirationis habet exemplum M. Portii LATRONIS, gente Hispani, clari olim, ut ait Plinius, inter dicendi magistros; cuius mortem notauit Eusebius in Chron. ad Olympiad. CXCIV. Etenim M. Annaeus Seneca (39) de hoc charissimo sodali & familiari

B 3

liari

(38) Christina Succorum Regina, cum annos nata esset XXIII, Martialem integrum memoria tenuit. Def. Erasmus totum Terentium & Horatium non fecus tenuit ac digitos suos. Et quis omnes illos recenseret, qui non tam memoriae celeritate, quam longo vsu libros totos edidicerunt?

(39) In proem. Controversiar. L. I. Tomo III. Opp. p. m. 72. edit. e. not. var. Post Senecam idem Portii Latronis exemplum laudarunt multi, sed nemo cum immaniori errore, quam Euerh. Guerna. Happelius; quem si audias in Academischen Roman. p. 672. necesse erit, Rudolphum Agricolam, patria Frisia, notissimum Scriptorem, qui A. 1485. obiit, ante Portium nostrum & Senecam vixisse. En Happelii verba: Von Portio Latrone schreibe Seneca in der Worredt seines Declamationum, daß er in seinen Schulen den sehr gelehrt Rudolphum Agricolam, über die Massen heraus gestrichen und berühmt gemacht habe / daß er nemlich theils von Natur / theils durch Fleiß und Kunst eine so vor treffliche Memorie gehabt hätte / daß es saft unglaublich zu seyn schiene ic. Risum tenetis amici! Ne vero frustra labores, lector, in peccato Typographi exquirendo, aperiatis tibi fontes tam crassi erroris. Happelius, cuius scripta ad panem lucrandum ex plagiis confusa sunt, ad verbum exscriptis loc. cit. a pag. 666.—674. Petri Messiae, Scriptoris Hispani integrum caput VII. partis III. *Sylvae variarum lectionum*; sed neque auctore nominavit, neque interpretem Italum Francicum Sansenium, quo forte usus est, recte intellexit. Is ita p. m. 242: *Di Portio Latrone scrive il sapiente Seneca, nel prologo delle sue declamationi, che illustrò con le sue scolie il dottor e sapiente Ridolfo Agricola, &c. hoc est: De Portio Latrone scribit sapient Seneca in prologo Declamationum suarum, quas illustrauit scholitis suis doctrinae & sapientis Rudolphus Agricola, &c.* haec reddit Happelius: daß er in seinen Schulen den sehr gelehrt Rud. Agricolam über die Massen heraus gestrichen und berühmt gemacht habe ic, adeoque Senecae Declamationes in Agricolam, scholia Agricolae in scholas Latronis transformat; dignus qui conjugatur cum Christophoro Persona, Agathiae interprete, a quo Philosophum *Stagiritam* in *vins*



liari suo testatur, nunquam illum, quae dicturus erat, ediscendi causa relegisse. Edidicerat, inquit, illa, cum scriperat, cum id in illo magis mirabile videri possit, quod nec lente & anxie, sed eodem paene, quo dicebat, impetus scriberet. At illi, qui scripta sua torquent, qui de singulis verbis in consilium eunt, neceſſe est, quae totiens animo suo admouerint, nouissime affigant. At quorumcunque filius est velox, tardior memoria est. In illo non tantum naturalis memoriae felicitas erat, sed ars summa, & ad apprehendenda, quae tenere debebat, & ad custodienda; adeo ut omnes declamationes suas, quascunque dixerat, teneret. Iam itaque superuenios sibi fecerat codices. Aiebat se scribere in animo. Cogitata dicebat ita, ut in nullo unquam verbo eum memoria decepitur. Historiarum omnium summa notitia: iubebat aliquem nominari ducem, & statim eius acta cursu reddebat. Adeo quacunque in animum eius sermoneſcenderant, in promtu erant. Addit vero Seneca, felicem Latronis naturam arte plurimum adiutam fuisse; quam artem non operosam vocat, aitque, intra exiguum paucissimorum dierum tempus posse quemlibet facere id, quod Cineas aut Hortensius fecerit, quorum stupenda memoriae specimina supra demonstrauimus. Oportuit sane istam artem, si talis fuit (40), multum praestitisse hodiernis quibusdam memoriae artificis, quae maxime operosa sunt, & dupliци imagine mentem onerant, adeoque memoriam felicem in homine requirunt potius, quam producunt (41). Tale vero, quale Seneca laudat, compendium fortassis

---

rvini amphoram commutatum fuisse, supra dixi, vbi de Cosroe. Caute igitur mercari dicant illi, qui non tantum oblectamenta sua, sed eruditioſis etiam condimenta ex Ernstii, Happelii, Misandris, aliquoſ eiusmodi Deliciarum collectoribus, more plebis ſemidoctae, corradunt.

(40) Vellel arcana aperuifet Seneca. Sed ille, cum multa de insigni illa arte praedicasſet, ita tandem auditorum explicationem eludit: cupitus statim discere & ſuffendam cupiditatem uestram, & faciam alteri beneficio locum.

(41) Quinimo, farente ipſo praefigiarum illarum alias magistro, Henr. Corn. Agrrippa, ars memorativa tot ſaepiffime monſtroſis obtundit imaginibus, ut pro memoriae teneatate maniam & phrenesin nonnunquam inducat, dum videlicet naturalem memoriam innumerabilium rerum ac verborum imaginibus praegrauans, naturae finibus non contentos arte inſinire facit, de Vanit. Art. & Scient. cap. X.

tassis calluit *Bernardus de LAVINHETA*, Lullianae disciplinae cultor, cuius opera pleraque Coloniae A. 1612. recudi curauit Io. Henr. Alstedius. Ille enim, si vera de se praedicat, quendam Iureconsultum docuit hanc artem, qua omnes rubricas Decretalium vna nocte memoriae mandauerit (42). Sed redeo ad naturae portenta, in quibus nullae partes artificio fuerunt. In his celebratur etiam exemplum *LEOPOLDI Magni*, Imperatoris Augusti, cuius tanta fuisse memoria dicitur, ut ad orationes legatorum, etiam longissimas, seruato accurate argumentorum & membrorum ordine, nihil titubans, in praecipuis Europae linguis responderit (43). Principi Principem adiungo *LVDOVICVM XIII. Galliae Regem*, cum Leopoldo de gloria memoriae diuinioris certante. Nisi enim suspicio est, quaedam adulandi studio scripsisse Gabr. Bartholom. Gramondum (44), Cyrum ille aut Hadrianum memoria aequasse dicendus erit. Quippe castra sua aliquando praeteruectus, dum militem in armis stare iussum explorat in transitu (seu memoriae experimentum faciendi animus erat, seu conciliandae sibi militum gratiae) centuriones, vicarios, signiferos, primipilos, ipsos legionarios, nomine quemque

(42) Referente Morhofio T. I. Polyh. L. II. c. VI. n. 8. p. 401. Eandem artem per imagines tentarunt alii, in gratiam Iuris studiorum, quorum sane interest titulos & capita legum memoriter nosce. *Ioannis Buronis* hanc in rem labores noti sunt, & supra in Progr. II. not. 20. exemplo confirmata. In Batavis vero Lugduni etiam A. 1695. in 8. prodit *Ars magna & admirabilis, specimenibus variis confirmata, qua Pandectarum tituli, eorumque praecipua materia, ope figurarum emblematicarum, brevissime, incunde & tenaciter memoriae imprimi, firmiter contineri.* & opportune in usum transferri possunt, in maximum commodum legis studiosi. Auctor quisquis est, quinque tabulis imagines suas complectitur, spondeique, intra 20. aut 30. horas totum negotium perfectum it, ut quoconque velis ordine, sive recto, sive inuerso aut turbato, titulos Pandectarum recitate possis. vid. *Boekzaal van Europe* A. 1695. Nouemb. p. 404. sqq. vbi Petrus Rabus, vii festue dicax, non quidem omnem memoriae artem imprudenter explodit, causam tamen vulgati illius contemptus coniicit in quosdam, quos vocat *Grolgebryvers, die aan zekere hanepozen, merken, letters, rodden en vodden het menschelyk begrip wilden binden.*

(43) Auctor Relationum curiosarum. A. 1705. Siebende Nachricht/ pag. 52.

(44) Histor. Gall. L. VII. pag. 397-398. edit. Elsenir. A. 1653. 8.

que proprio compellatos comiter salutauit. Milites omnes  
nouit intus & extra, quales per nomina audirent, quales virtute  
valerent: hunc ineundo cominus præcio, illum eminus fortio-  
rem: hunc oppugnationi, aut inferendae loco aperto vi; illum  
prohibendae aptum agnouit, vt quisque coram, per varios belli  
casus, sui speciem praebuisset. Huc etiam pertinet, quod  
magistratus Galliae, rectores urbium, nobiles, ipsosque perfaepe  
e vulgo plebeios, vel semel visos, incredibili memoriae felicitate  
praefentes cognouerit, memoria absentes retinuerit. Dicat  
autem quis, in Principibus maiorem plerumque naturae & facul-  
tatis, etiamsi mediocris, admirationem esse; certe non habebit  
haec suspicio locum in Christophoro LONGOLIO Mechliniensi,  
celebri illo Ciceroniani stili imitatore. Malo isthoc hominis  
prodigium Melchioris Adami (45) quam meis verbis enarrare:  
*Memoria tanta fuit, ut ad ea tollenda, quae animo semel insedissent, diu-*  
*nitas temporis vix aliquid valeret. De pluribus & variis rebus saepe*  
*interrogatus, de quibus am multis annis nihil legerat, non minus promte de*  
*singulis solitus est respondere, ac si eo die ab eo perfecta fuissent. Cuius rei*  
*eis, qui familiariter cum eo vixerunt, quotidie periculum facere licuit.*  
*Hocque in eo magis mirum fuit, quod cum plurima legisset, omnia autem,*  
*quae Graece aut Latine scripta essent, sibi legenda proponeret, nunquam*  
*fere, ad metam semper properanti, ad eundem scriptorem reuertere licuit.*  
*Si quando de iis rebus sermo incidaret, quac a diuersis & variis scriptori-  
bus tractatae essent, cum res ipsae essent eadem; ita tamen oratione solebat*  
*distinguere, sua verba singulis scriptoribus, a quibus ea acceperat, refe-  
rendo, ut non memoriter ea dixisse, in quo saepe offendit solet, sed de scripto*  
*pronunciaisse videretur. Quae saepe dum faceret, ita auditorum admir-  
ationem incendit, ut cum artificio quodam, non naturali memoriae bono*  
*uti, existimarent. Dolendum certe est, Longolium tam præclaris*  
*a natura dotibus præeditum in ipso aetatis flore occidisse. Quan-*  
*tus*

---

(45) In Vitis Germanor. Philosoph. edit. recent. in fol. p. 21. ex quo Ant. Borremansius in  
Var. Lect. cap. III. p. 15. & Franc. Ridderus in Historia de Eruditione p. 274.

tus enim non futurus fuisset, si ad senectutem peruenisset, aut si memoriam suam, quae per se stupenda erat, aliquo subsidio iuuare voluisset? Quemadmodum fecit L. LVCVLLVS, vir pace belloque maximus, & inter Romanos non literis minus & bibliotheca, quam rebus gestis inclytissimus. Huius incredibilem ingenii magnitudinem, prudentiam, fortitudinem, aequitatem, & ceteras virtutes magnificis verbis laudat Cicero (46), ex quibus laudibus ad nostrum institutum hae spectant: *Habuit diuinam quandam memoriam rerum Lucullus, verborum maiorem Hortensius. Sed quo plus in negotiis gerendis res quam verba prosunt, hoc erat memoria illa praestantior.* — — *Itaque ut litteris consignamus, quae monumentis mandare volumus: sic ille in animo res insculptas habebat.* — — *Cumque esset ea memoria, quam ante dixi, ea saepius audiendo facile cognovit, quae vel semel audita meminisse potuisset.* Diferte tamen ibidem admonet Cicero, tali ingenio praeditum *Lucullum adiunxit etiam illam, quam Themistocles spreuerat, disciplinam*, scilicet *uniuersitatem*, frustra olim Themistocli a Simonide, ut aiunt, oblatam.

Viva certe bibliotheca est memoria, quam qui fidelem habent, lectionis thesaurum circumferunt, & libris nonnunquam carent sine impedimento. Rarum eiusmodi exemplum fuit Hieronymus MAGIVS Anglensis Italus (47), qui, cum A. 1571. in Cypro insula ludicis officio in exercitu Venetorum functus, hostibusque muniendi peritia & ignium arte satis noxius fuisset, capta tandem a Turcis Famagusta vrbe, ipse quoque captus, & in vinculis Constantinopolin abductus est. Ibi vero inter operas seruiles & duri carceris miserias, cum omni librorum adiumento plane nudatus

C

(46) Lib. II. (al. IV.) Acad. Quæst. §. 1.

(47) Anglaria s. Angleria Magii patria Etruriae oppidum est, diuersum nomine situque ab Anglaria oppido in finibus Mediolanensium ad lacum Lucarnensem. Illud Italiz Anghiera, hoc Anghiari dicitur. Notandum discrimen, ne cum Thuano, Sveuentio, Miraeo, Quenstedio, Teisserio, aliisque circa patriam Magii vel erremus vel titubemus.

nudatus esset, nocturnis studiis ex sola memoria (48) depromsit libellos duos longe doctissimos, & varia lectione Scriptorumque locis ac testimoniiis plenissimos, alterum de *Tintinnabulis*, alterum de *Equuleo*; quos obtulit legatis Imperatoris & Galliae Regis, vt libertatem per eos recuperaret. Sed res non successit, fortassis quia intempestive effici coepit: quippe Magius, Praefecti Turcici iussu, A. 1572, VI. Kal. April, faucibus laqueo praestriktis in carcere necatus fuit (49): dignus ob summam eruditionem fato meliori: dignus certe, cuius memoriae diuinitas inter nobilissima exempla praedicetur. Non dicam multa de illustri viro *Nicolaio Antonio MAGLIABECCHIO*, magni Etruriae Principis Bibliothecario, cuius ingentem memoriae vim ex illis cognoui, qui magnum hoc orbis eruditus decus Florentiae proprius nouerunt: neque de *Io. Marco MARCI a Kronland*, auctore *Liturgiae Mensis*, editae Ratisb. 1678. 4. de quo *Iacobus Dobrzensky de Nigro Ponte* in *Vita Marci*, *Liturgiae illi praefixa* refert, eum ex oculis laborantem, memoriam accepisse pro papyro, pro calamo habuisse auditum

(48) Testantur praefationes Editorum, libro de *Tintinnabulis* praefixaes; nec non Iourn. des Scav. A 1665 p. 198. Neocorus in Biblioth. nouor. lib. or A. 1698. p. 105. & ipse Magius in Dedi. libi de *Equuleo*, ad Regis Gall. Legatum sic fatur: *Nocturnis igitur horis, quas dominus Turca quieti indulgere solerit, (diurnis quo minus quidquam libero homine dignum praestare possim, variis grauissimisque laboribus impedito) in ergastulo vixunque hac de re commentari ac scribere capi, ac tandem fauente Deo factum est, ut librum absolvierim.* — — Nos enim, et si libris omnino desstituti, *& in calamitate non vulgari vix mentis consopites, instrumento, ut saevissimo, ita obscurissimi tenetibus ante demerso, lucem attulisse facile animaduerstes.* Vix comparari cum hoc exemplo poterit *Hugo Grotius*, quem absque libris aliquando scriptorem fuisse, suo loco supra diximus: nedum *Christiana WE SIVS*, ex cuius praefatione des flugen Hofmeisters/ haud adeo stricte fortassis capienda sunt verba: *Als ich anfangs diese Fundamental Historie zusammen trug/ geschah es an einem Orte/ da ich von allen Büchern entblößet war/ und also meinem Gedächtniffe das meiste zutrauen musste.*

(49) De Magio eiusque fatis, in aliorum sere omnium scriptorum vicem legi poterit magnus ille rerum literariorum promusconus Pet. Baylus T. II. *Dictionar. hist.* *& crit.* p. m. 1668. sq. vbi Thuanus, Raph. Trichetus du Fresne, Morelius, & reliqui de Magio scriptores non tantum allegati sunt, sed & emendati.

tum (50). *Quis vero non mirabitur facultatem mentis in milite illo veterano, qui non vitae suae duntaxat historiam, sed res omnes aetate sua gestas, ad seriem dierum, memoriter narrare potuit?* Laudat hominem Mr. de Vigneul-Marville (51): *J' ai vu un vieil Officier de l' Armée, nommé de S. MAURICE, qui raconte non seulement l' histoire de sa vie ; mais aussi toute l' histoire de son temps jour pour jour depuis quarante ans, avec une exactitude surprenante.* Eadem memoriae felicitate MAVRILIVS, Praeful quondam Cadurcensis sub Guntranno Rege, omnes veteris Testamenti genealogias, quae sane admodum difficiles sunt, recitare potuit (52). Et cur praeterirem Diuum MAXIMILIANVM I. Augustum, de quo Orator eius Ioannes Cuspinianus, testis fide dignus, consignauit (53), memoriae fuisse tam tenacis, ut cum semel aliquem secum loquentem viderit, post longam temporis intercapidinem denuo agnoverit. Parum autem abfuisset, quin praestantissimae huius memoriae usum in literis plane nullum fecisset Maximilianus, asperitate indocti magistri intenera aetate territus (54). Quemadmodum circa idem tempus in plagosum eiusmodi Orbilium etiam inciderat Iason MAYNVS, Mediolanensis, Iureconsultus celeberrimus (55). Eius enim ferulis cum manum subtraxisset,

(50) Vid. Io. Iac. Auracher in Diff. de Memoria, p. 62.

(51) Mélanges d' histoire & de littérature. Vol. II. p. 81.

(52) Aimonius de Rebus gestis Francorum L. III. c. 34. Beyerlinck T. V. Theatr. vit. hum. lit. M. p. 402. A.

(53) De Caesaribus, p. 494. edit. Wechel, in fol.

(54) Notabile est, quod idem Cuspinianus refert pag. 486. Maximilianum tam insigni fuisse ingenio, tam acris iudicio, tam tenaci memoria, vt breui omnem artium ac scientiarum copiam animo comprehensurus fuisset, nisi pueritia eius in plagosum aliquem & ineptum praceptorum incidisset, a quo non tantum sophismatisbus alisque nugis ediscendis oneratus, sed saepius etiam atrociter verberatus fuit, adeo vt literas magis odio tunc haberet, quam diligeret. *Audiri* (ait Cuspinianus p. 485. fin.) ex ore dini Maximiliani hoc verbum, quod nunquam memoria mea excides, quod iam Romanorum Rex factus, in mensa, (ut solebat de vario loqu) multis astanib[us] dixerat : *Si hodie praceptor meus viueret Petrus, quamquam multa praceptoribus debeamus, efficerem, vt eum instituisse me p[re]mitteret.*

(55) Teste, qui ipse ab eo illud familiariter audiuerat, Paulo Iouio, in Elog. doctor. viror. p. m. 80.

animi impotens, & libertate abutens, in dissolutum viuendi genus  
prolapsus est. Sed mature se collegit, & ingentibus naturae  
dotibus, celerrimoque profectu omnibus admirandus exstitit.  
Erat enim memoria tam divina praeditus, vt totum Iuris corpus,  
si interiisset, per eum restitui posse crederetur. Natum hinc  
inter alia encomium, quo sepulchrum tam excellentis legum  
doctoris ornauit Dardanus Parmensis:

*Non fuit hoc quisquam iuris consultior aleer,  
Qui extinctum posset reddere ius melius.*

item aliud nescio cuius (56):

*Sanctorum intereant numerosa volumina legum:*

*Hic, per quem subito restituantur, erit.*

Sed heus lector! iam monstrum prodit ingenii pariter ac me-  
moriae *Iacobus MAZONIVS*, nobilis Caesenas, qui sub finem  
saeculi XVI. floruit, & omnem Italiam doctrinam sua ac fama  
repleuit. Hunc solum fuisse, ait Naudeus (57), qui certare in  
Italia potuerit cum Iacobo illo Critonio, cuius prodigiosae memo-  
riæ supra dedimus locum. Non enim pagellas modo, sed libros  
integros Poetarum Italorum ac Latinorum, aliorumque quo-  
rumuis grauissimorum Scriptorum memoriter repetere potuit.  
Ioannes Imperialis in *Museo historico* p. 137. testatur, *in cunctis scien-  
tias tantum eum scire, quantum reminiscere; reminisci autem,  
quantum legisset; legisse autem, quidquid uspiam legeretur.* Vberiora  
de eo affert Erythraeus (58), puerum scilicet XIII. annorum  
celeri-

(56) Apud Pezoldum in *Diff. saepe laudata* p. 26. *Conf. de vita Mayni Guid. Panzirolum  
de claris LL. interpretibus*, VII. 127. Io. Fichardum in *vitis ICtorum*, fol. 15. Man-  
tuuam fol. 48. n. 165. Bullartum in *Acad. Scient. & Art. T. I. L. III.* p. 272. *Elogia  
vero magnifica* vide ap. Ebabenum in *Eponymol. Magiri* p. 472. sq.

(57) In *Naudeanis*, p. 28. *conf.* p. 157. vbi auctor *Additionum & Correctionum*. (quas ipsis  
Naudeanis praestantiores iudico) mortem Mazonii recte referat ad A. 1598. unde cor-  
rigendus Wittemius in *Diar. Biogr.* ad A. 1603, & Koenigius in *Bibliotheca*.

(58) *Pinacoth. I.* pag. 66. 67. cuius vestigia preesse legit Adr. Bailler *des Enfans celebres*  
p. 178. sq. Addde Morhofium L. II. *Polyhist. literar. cap. VI.* p. 400. *Pachium de  
Inuentis non-antiquis* p. 141. sq. qui dicit, esse quosdam, qui dubitent, utrum per  
naturam, an per artem haec Mazonio memoria obtigerit. Martinelli, aut Pet. Segnii  
*Orationes in obitum Mazonii*, legat qui habet.

celeriter ex ludo Bononiensi doctiorem, quam ipse magister esset,  
dimissum fuisse : omnes Platonis ac Aristotelis libros memoriae  
mandasse : MC XCVII placita eorum publica disceptatione  
contra quemuis defendenda proposuisse : intra menses non am-  
plius sex Theologiam omnem ita hausisse, vt doctoris munere  
dignus haberetur p[re]ae alio quodam candidato, qui septem annos  
integros in eo studio contruerat : nihil vspiam consignatum  
fuisse literis, quod non legisset ; nihil legisse, quod comprehen-  
sum memoria non contineret, vnde tanquam ex promtuario  
aliquo, cum esset opus, singula proferret, & suo quaque loco  
collocaret : quamobrem factum esse, vt in disputationibus, cum  
auctoritatibus decertandum esset, integras ex sanctorum Patrum,  
Platonis, Aristotelis, aliorumque doctorum hominum libris,  
paginas ita memoriter referret, vt ne vnam quidem syllabam  
peccaret. Tantus quidem Υαυματέργος non fuit ille Galliae Varro  
Aegidius MENAGIVS, adeo firmam tamen memoriam in se  
deprehendit, vt nullis sibi excerptis opus esse crediderit, imo  
molestos potius Collectaneorum aut Aduersariorum codices  
censuerit, cum omnia, quae vspiam notatu digna legisset, foli  
memoriae suae in custodiā satis fidelem tradere, atque ab eadem,  
quandocunque vellet, expedite repetere potuerit. Ita de se ipso  
ali quando pronunciauit (59) : *Je n'ay jamais fait de collections en lisant les Auteurs, quoique j'en aye cité un bon nombre dans mes ouvrages.*

C 3

Je

(59) In Menagianis, pag 316. Remibi confirmant editores, adduntque, Menagio in more  
positum fuisse, vt, quae firmiter animo imprimere voluerit, ea ipse quidem manu  
sua in chartam coniceret ; simulac autem lecta fuissent, chartam disceptam igni  
tradidisse. Quippe scriptiōnem non sibi aliquando repetenti, sed tantum discenti  
vulnē esse dixit, allegare solitus illud Horatii :

*Segnius irriuant animos demissa per aurēm.  
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, & quae  
Ipsa sibi tradit spectator.*

Præterea vero affirmant, saepius eum ex auctoribus, tam qui prosa, quam qui versi ora-  
tione scriperunt, a longo tempore lexis, multa copiose ad prodigium vsque recitasse.  
Ipse Menagius 1 c. pag 100. refert opportune se aliquando Perachonium reprehensorem  
suum monuisse de quadam dictione Ciceronis, locumque exemplo allegasse, cum  
ramen a sexaginta annis locum istum non inspexisset.

Je n' ay été secouru que de ma memoire : & cela m' a épargné beaucoup de tems, que j' aurois perdu inutilement. Il me semble que c' auroit été un embarras de feuilleter mes collections. Quinimo ipse memoriae sua tenacitatem paene reformidauit, vt non auderet libros legere, in quibus non omnia certa atque accurata, ne forte error aliquis in animo legentis adeo haereret, vt auelli deinceps non posset (60). Vnde non tantum scriptor vitae (61) prodigiosam hanc memoriam plurimum ad summam eius eruditionem contulisse ait, & Franciscus Pinssonius in Epitaphio Menagium *virum officiosum, ingenio praestantiorum, MEMORIA TENACISSIMUM* vocat ; sed etiam Petrus Baylius, cum in priori Dictionarii sui exemplo parcius de Menagio egisset, diuinam hanc viri memoriae dignam iudicauit, quae sibi, alteram eius operis, vel thesauri potius, editionem paranti, luculentae cuiusdam accessionis argumentum preeberet (62). Notabile autem est, laudatissimo nostro polymnemoni, nescio quo fato, aliquando accidisse, vt omnem fere memoriae vim ad tempus amitteret ; quam tamen fato non minus mirabili sub extremam tandem senectutem recuperauit. Lectu dignae sunt eius de hac iactura ad Deam Memoriam quærelae (63) :

*Musarum veneranda parens, quam Iuppiter ipse,  
Ille pater Diuum, magno dilexit amore,  
Mnemosyne, fidum tu me patrona clientem  
Deseris ? Ah memini, iuuenis cum mille Sopborum,  
Mille recenserem Sectarum nomina : mille  
Stemmata narrare, totasque ex ordine gentes.*

Nunc

(60) Je ne voudrois point lire le Dictionnaire de Moréri : ce n' est pas que je ne l' estime fort bon ; mais c' est qu' il y a beaucoup de fautes, & que si je m' en étais mis quelqu' une dans la tête, j' aurois de la peine à m' en corriger. Menagiana p. 27.

(61) Mémoires pour servir à la use de M. Menage, quae exstant ad frontem Tomi II. Menagianorum, 1. Suite du Menagiana, iisdemque annexum est illud a Pinssonio positum Epitaphium.

(62) Vid. Tom. II. pag. 2099. edit. Roterod. 1701.

(63) Lib. I. Poematum, pag. 13. edit. Amstelod. 1687.

Nunc oblita mibi tot nomina. Vix mibi nomen  
Haeret mente meum. Memini, cum plurima Homeris,  
Plurima Peligni recitarem carmina vatis:  
Omnia Virgilii memori cum mente tenerem.  
Nunc oblita mibi tot carmina. Non ego possim,  
Condita quae nuper mibi sunt, meminisse meorum.  
Gallia quem stupuit, stupuit me maximus ille  
Bignonides, legum capita omnia commemorantem.  
Fabellas lepidas, & acute dicta Sophorum  
Narrabam iuuenis, iuuenum mirante ceterua.  
Ingenii pars illa mei, placuisse pueris  
Qua potui, perit: nunc illis fabula fio.  
Pendebant olim, memini, narrantis ab ore.  
Fabellas easdem, versus eosdem repetentem  
(Has narrasse semel, semel hos recitasse putabam?)  
Id me hodie monuit fidusque vecusque sodalis  
Nunc me fastosar medio in sermone relinquunt.

De recuperata autem pristina facultate, cum annum ageret  
septimum supra septuagesimum, edito carmine A. 1690, V. Kal.  
Decemb. eidem Deae has grates persoluit:

Musarum veneranda parens; quam Iuppiter ipse,  
Ipse pater Diuum, tenero dilexit amore;  
Audisti mea vota. Seni memorem mihi mentem  
Diua redonasti. Magnorum nomina mille,  
Et proceres omnes ab origine Sablonenses,  
Leges Romanas, Seetas memorare Sophorum,  
Tulli mille locos, & Homeris carmina centum,  
Et centum possum versus recitare Maronis.  
Ingenii pars illa mei, iuuenis placuisse  
Qua potui, ecce redux. Tua sunt haec munera, Diua;  
Ingenii per te nobis renouata iuuenta est.

Cum

Cum Menagio conuenienter coniungendum puto *Hugonem*  
MENARDVM Blesensem, Ordinis Benedictini hominem longe  
doctissimum. Communis enim utriusque patria Gallia, aetas  
fere eadem, eadem memoriae praestantia & fiducia fuit. Nihil  
vnquam rerum a se lectorum in libros congregavit Menardus, sed  
memoria pro Collectaneis usus est, quae eum, locos etiam &  
paginas scriptorum, quoiescunque opus esset, requirentem  
nunquam fecellit. Igitur quod de se ipse Menagius praedicauit,  
nullo se excerptorum subsidio indiguisse, idem plane de Menardo  
taстatur nuperus scriptor Gallus, personatus quidem, sed sagax &  
fide dignus (64) : *Ce qu'il y a d'admirable dans ce sauvant Religieux,*  
*c'est que bien qu'il n'ait presque donné que des Notes, il n'auoit jamais*  
*fait de Recueils de ses lectures.* Sa mémoire étoit si heureuse, que dès  
qu'il avoit besoin de quelque passage, elle le lui représentoit, & lui en  
marquoit le lieu & la page. Lorsque le P. Sirmond étoit en peine d'une  
autorité, il disoit qu'il auroit plutôt fait d'aller consulter le P. Ménard  
a S. Germain des Prez, que de chercher dans les Livres. O genios  
plane coelestes ! quorum exempla admirari quidem aequum  
est, sed imitari velle, temerarium (65). Ante vero quam ab his,  
quae

(64) Mr. de Vigneul-Marouille dans ses *Mélanges d'histoire & de littérature*, Vol. I,  
p. 59. sq.

(65) Seneca quidem (Epist. 88. T. II. Operum, p. m. 390, fin.) *zeſcio*, inquit, *av ceterior memoriæ ſit, quae nullum extra ſe ſubſidium habet* : ad quem locum Lipsius : *ideo Druides (ap. Caſarem, VI, de Bell. Gall.) fuſ non putabant, ſua litteris mandare, quod nollent eos, qui diſcurſi, litteris confiſi, minus memoriae ſtudere.* At vero, quantum ego intelligo, nec Senecæ vox, nec Druidum exempla eo valent, vt more Menagii aut Menardi, omnem nobis excepſendi induſtriam ſuperuacuum iudicemus. Seneca ipſe memoriae diuinioris exemplum fuit. Druidum ſtudia noſtris anguſtiora, Hodie ampliſſimus ſcientiarum campus, maxima librorum multitudine, infinita lectio eſt. Ad haec memoriam paucis tenax, multis infirma, plerisque mediocris. Tutifſum igitur erit, Plinium imitari, & memoriam in tanta rei varietate aliquo ſubſidio iuuare ; quod grauerit ac diſerte ſuader Drexelius P. I. Aurifod. cap. II. Utinam vero poſt tot conſilia, quorum copia dudum laboramus, tandem aliqua certa, conſtant, & in omni ſtudiorum genere proficia excepſendi ratio exiftat, quae non a vacua chartarum compage ordiatur, ſed bibliothecam aliquam ſelectam & manualem ſubſternat, libris conſtantem paucis quidem, nec pretioſis, ſed plenis tamen

quae modo commemorauit, recentioribus portentis ad antiqua  
nonnulla redeam, paulum me retinet *Guilielmus MERCERVS*,  
*Athiensis Hannonius*, *Theologus Louaniensis*, A. 1639 defunctus.  
Hic enim *Vir fuit* (66), ut de ingenii dotibus, deque virtutibus eius aliquid  
delibem, doctriinae omnifariae; quippe *Orator*, *Poeta*, *Historicus*, *Philo-*  
*sophus*, *Theologus*, *Mathematicus*, *Musicus*, in omnibus eximius. In pri-  
mis vero memoria excelluit, & ingenii acrimonia, adeoque Scripturam  
Sacram velut in numerato habebat. Nihil fere legebat, quin retineret  
firmiter, eratque ipse velut ἐμψυχος seu spirans quaedam omnis generis  
librorum bibliotheca. Cum bisce ingenii dotibus conspirabant reliquae  
eius virtutes. Hocigitur etiam viro dignum locum nacto, respi-  
ciendum nunc erit ad antiquiores quosdam; quos inter memo-  
rabilis existit METRODORVS *Scepsius* (67), Philosophus &  
Rhetor clarissimus, idemque artis mnemonicae cultor diligen-  
tissimus, quam a Simonide inuentam, teste Plinio (68), ita con-  
summavit, ut nihil non iisdem verbis redderetur auditum. Adiunt  
memoriae Metrodori testimonia plura in veterum scriptis. An-  
tonius, quem loquentem fingit Cicero (69), vidisse se, ait, summos

D

boni-

---

tamen in suo genere. & locorum instar communium ordinatis, vt quidquid alibi  
notatum dignum legatur, illud in aliquo huius bibliothecae libro sedem propriam, &  
aptum conditum nancisci possit. Quo pacto non facile actum agemus, aut col-  
lectaneorum initii immoriemur; sed paratum habebimus thesaurum, cui nouas  
diuitias ex varia lectione cum voluptate adiciemus. De cuius consilii usu & pra-  
stantia satius est hoc loco taceret, quam imperfete dicere.

(66) Verba sunt Valer, Andreae Delfelli in *Bibliotheca Belgica*, p. 329.

(67) Plures Metrodorus laudat Vossius de *Historicis Graecis* Lib. I. cap. 21. T. IV. Opp. p. 97.  
& Lib. III. p. 181. Ionius Lib. I. de *Script. hist. Philos.* cap. 20. p. 110. Sed plane nefcio,  
quis sit ille *Metrodorus Melicus*, quem a *Scepsio* diuersum commemorat, eique artem  
memoriae consummatam adscribit Nic. Lloydius in *Dictionar. hist.* repetique fide-  
liter ex Lloydio, vt solet, Hofmannus in *Lexico*. Nisi fallor, errat vterque, idque  
ex Plinio negligentius lecto, qui Lib. VII. cap. 24. Simonidem Melicum & Metro-  
dorum Scepsium coniungit. Vnde Simonidis cognomentum per oportunitatem Metro-  
doro datum, atque sic nouus Metrodorus, a Scepsio diuersus proculsus fuit.

(68) Lib. VII. Hist. Nat. cap. XXIV.

(69) De *Oratore* Lib. II. §. 88. Meminit etiam suis verbis ipse Cicero, sed artificium subin-  
dicat memoriae Metrodori L. I. Tuse. Qu. §. 24.

homines, & diuina prope memoria, Athenis Charmidem; in Asia, quem  
diuere hodie aiunt, Scepsium Metrodorum, quorum uterque tanquam  
litteris in cera, sic se aiebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quae  
meminisse vellet, prescribere. Sic, referente Solino, Metrodorus  
Philosophus, qui temporibus Diogenis Cynicifuit (70), in tantum se medi-  
tatione affida prouexit, ut a multis simul dicta, non modo sensuum, sed  
etiam verborum ordinibus detineret. Subsequatur hunc, ex saeculo  
post C. N. quarto, doctor eloquentiae publicus apud Burdigalenses,  
Tiberius Victor MINERVIVS, nomen & omen habens, siquidem Mineruam a memoria nomen traxisse (71) credendum est.  
Fortassis enim non poetica magis quam historica fide (72) a diuina  
memoria Mineruam praceptorum suum laudat discipulus  
Ausonius, aitque inter alia eum potuisse ex longo aliquo tessera-  
rum lusu, cui adfuisset, omnes iactus memoriter recensere (73):

Anne & diuini bona naturalia doni  
Adiiciam, memori quam fueris animo?  
Audita ut, vel lecta semel, cœu fixa teneres:  
Auribus & libris esset ut vna fides?

Vidimus

(70) Fallitur in aetate Metrodori Solinus, aut Atheniensem Metrodorum cum Scepsio con-  
fundit, in Polyhistore scilicet, cap. I, p. m. 8. Multo enim post Diogenem Cynicum  
vixit Metrodorus Scepsius, quum Ciceronis aetati proximus fuerit; quod patet ex  
locis Ciceronis modo allegatis. Vide perspicacissimum Salmasium in Exercitu  
Plinian. T, I p. m. 36.

(71) Arnobius Lib. III. aduersi gentes, p. m. 118: Mineruam dixerunt memoriam nonnulli;  
unde ipsum nomen Minerua, quasi quaedam Meminerua formatum est. Con-  
firmat hanc nominis originem, quod alii matrem Mineruae Memoriam faciunt.  
Ita Afranius ap. A. Gellium Lib. XIII, cap. 8:

Vsus me genuit, mater peperit Memoria,  
Sophiam vocant me Grass, vos Sapientiam.

Si Festum audias, Minerua dicta est, quod bene menteat. Eodem inclinat doctissimus  
Vossius in Etymolog. putatque esse ab antiquo *meneruo* pro *mono*: unde *pro-  
meneruo* eadem notione in Saliari carmine, teste Festo. Aliis tamen magis placet  
*ētruscor aminis*, quod afferit Cicero III. de Nat. Deor. vide lo. Gerhardi Pagendarmi  
elegantem Dilect. de *Minerua Vitrice*, Vitemb. 1703, pag. 2.

(72) Ut censem Vossius de Rhetoricae Nat. & Conficiut. cap. XX.

(73) In Commemorat. Profess. Burdigalens. Cam. I. Opp. pag. 146. edit. opt. Amst. 1671. 8.

Vidimus & quondam tabulae certamine longo,  
 Omnes qui fuerant, enumerasse bolos;  
 Alternis vicibus quos praecepitante rotatu  
 Fundunt excisi per caua buxa gradus:  
 Narrantem fido per singula puncta recursu,  
 Quae data, per longas quae reuocata moras.

MITHRIDATI Regi Pontico gloriosum hoc testimonium per-  
 habet Plinius maior (74), quod duarum & viginti gentium rex toti-  
 dem linguis iura dixerit, pro concione singulas sine interprete  
 assatus. Plane in eandem sententiam Solinus & Valerius Maxi-  
 mus (75). Aulus vero Gellius numerum populorum & linguarum  
 auget. Ait enim (76): *Quinque & viginti gentium, quas sub ditione  
 habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris haud unquam  
 per interpretem colloquitus est; sed ut quemque ab eo appellari usus fuit,  
 proinde lingua & oratione ipsius, non minus scire, quam si gentilis eius esset,  
 locutus es.* Res profecto mira satis: quamvis enim diuturnitas  
 imperii Mithridatis aliquid ad tot linguas tandem discendas con-  
 ferre potuerit; tamen expendenda quoque est linguarum Asiat-  
 carum libertas & difficultas, nec ex Plinio constat, eum semper  
 inter gentes illas versatum fuisse. Ad recentiores cum redeo,  
 occurrit quidem Franciscus MODIVS Audenburgo-Brugensis,  
 Philologus ac Critus, quo numerum exemplorum suorum augere  
 voluit Auracherus in Dissert. de Memoria. Sed ego, ut Modium,  
 licet cetera laudatissimum, diuina plane memoria fuisse credam,  
 aegre adducor solis Adolphi Clarmundi verbis, quibus significat,  
 eum Vegetii libros sere animo tenuisse (77). Nihil hanc in rem-

(74) Lib. VII. Hist. Nat. c. 24. Idem alio loco, Lib. XXV. c. 2. *illum, inquit, solum mortali-  
 sum viginti duabus linguis locutum, certum est, nec de subiectis gentibus nullum  
 hominem per interpretem appellatum ab eo annis LVT, quibus regnauit.*

(75) Hic lib. VIII. cap. VII. §. 16. pag. 694. edit. Thy. Ille in Polyhist. cap. I. pag. 8. edit.  
 Salmaf. Traiect. 1689. fol.

(76) Noct. Attic. Lib. XVII. cap. 17. p 785. ed. opt. Gronou. 1706. 4.

(77) Lebens-Bischofscr. ster Thesl. p. 23. Plane autem nescio, quo argumento coniucere possit  
 Auracherus, ob memoriae bonitatem Modium a Pet. Fabro plagiū accusatum fuisse,

tradiderunt Simlerus, Valer, Andreas, Sweertiūs, Koenigius, ex quibus reliqua sua Clarmundus hic transtulit. Igitur pro Modio alium quendam lCtum, itidem Flandrum, laudabo, Ioannem scilicet MOLINAEVM, Gandensem. Tantam hic, teste Valerio Andrea (78), utriusque linguae cognitionem puer erat consecutus, ut nondum annos natus XX. Arisotelis Ethica summa cum audientium admiratione Graece enarraret; epistolas ex tempore utroque idiomate dictaret tam elegantes, ut non nisi summa cura & studio scriptae viderentur: tanta memoria, ut ad duas tresue horas cum audientium stupore publice & memoriter oraret. Iuxta hos viros togatos constitui non recusat vir sago insignis Raymundus MONTECVLVI, Italus ex antiquo genere Comes, & post longam in castris Ferdinandi IV. Caesaris contra Suecos militiam tandem Princeps. Quamquam ipse togata etiam virtute & literarum gloria non parum conspicuus exstiterit. Poesin enim non amauit modo, sed etiam exercuit (79): societatem, quae *Naturae Curiosorum* dicitur, praesidio suo firmavit, in maius prouexit, rebus a se inuentis iuuit. Tanta vero polluit re memoriae (80), ut illa, referente Schurzfleischio, integrum fere tenuerit Robertum de Fluetibus: de quibusunque etiam rebus, absque multis præmeditationibus apte perorare potens. Principem hunc comitetur parasitus Petrus de MONTMAVR, quondam Graecae linguae Professor in schola regia Parisiensi, homo infinitae quidem memoriae, adeo ut legentis modo, cuncta quae olim in libris didicerat, referre posset; sed omnibus tamen iniuisus, praesertim eruditis, non tantum quod conuiuia & victum pre carium indecenter ambiret, & dicacitate sua quemuis obtunderet; verum maxime quod alios

---

Apud Thomasium certe, quem citat, *de Plagio* § 425. & § 10. ne minimum quidem est huic conjecturae indicium.

(78) In Biblioth. Belg. pag 541. Eadem tradit Fr. Sweertiūs in Athenis Belg. p. 453, unde mihi confirmatur plagi suspicio.

(79) Vid. Cheuracana p. II p. 13.

(80) Ita Auctores Novor. literar. Germaniae A. 1704. p. 24. vbi pagg. praeced. vita huius Raymundi Montecuculi scribitur,

alios aequales suos maligno dente roderet, censor insolentissimus.  
Vnde omnium doctorum in eum odia, Menagii in primis, Hadr.  
Valesii & aliorum, qui pacto quasi foedere calamos in eum strin-  
ixerunt, praefertim Menagiū in *Vita Mamurrae* s. Satyra morda-  
cissima, qua mores hominis falsissime descripsit, memoriae tamen  
praestantissimae laudem ei reliquit. Belli huius satyrici histo-  
riam, & multa de Mommorio singularia copiose refert D. Bay-  
ilius in *Dictionario* (81), quem hic exscribere non vacat: prope-  
randum enim est ad *Christianum MORSIANVM*, artis Medicæ  
quondam in Academia Hafniensi Doctorem, cui praeter in-  
signem eruditionem tam tenax fuit memoria, ut quoscunque  
Poetas iuuenis legerat, eos, nihil errans, totos, cum vellet,  
recitare posset. Quinimo accidit aliquando, vt doctus quidam  
Italus Hafniam delatus publicam de re medica disputationem  
fusciperet, testimoniis Galeni Graeco sermone cum magna  
auditorum admiratione prolatis. Sed cum dicendi finem  
fecisset, illoco Morsianus sermone itidem Graeco cuncta ad-  
uersae partis argumenta repetenda sibi sumvit, magna prom-  
titudine ad singula respondit, Galeni & Hippocratis placita  
plura memoriter attulit, ac tandem ita aduersarium confutavit,  
vt ipse ille hospes publice profiteretur, nunquam se credidisse,  
sub coelo tam frigido tantam ingenii memoriaeque facultatem  
reperiiri posse, quantum in Morsiano præsens fuerit expertus  
(82). Huic Medico adiungo Iureconsultum *Gabrielem MV-*  
*DAEVUM,*

D 3

(81) T. II. p. 2134. Inter alia lepidam hanc historiam, sed præsentissimi animi in Mommorio  
indicem narrat Bayilius: Prandebat aliquando promus ille menarum affecta apud  
illustrem Seguerium regni Cancelleriarum, vbi, cum afferrent dapes, casu an confilio  
in certum, patina ex mano serui delapsa, totum Mommorium offa perfudit. Tum  
vero ille valde quidem indignatus, sed statim animo promus & in Cancellerium intuens  
in haec veiba erupit: *sumnum ius, summa saepe iniuria;* ingeniose non tantum  
alludens ad offam ex patina profusam, sed acute etiam pungens ipsum Seguerium  
sumnum iurius dicundi præsidem, a quo sibi hanc fabulam actam esse suspicabatur.

(82) Haec ex Meigeri Nucleo Histor. lib. VII. c. 14. p. 156, refert Happelius in *Fabula Roma-  
nenſi Academica* p. 872, & ex Happelio totidem veribus Misander in *Delic. histor.* p. 213.

DAEVM, Brechtanum, tantae existimationis virum, vt ipse  
magnus Cuiacius aliquando Belgae cuidam discipulo suo in  
patriam redeunti dixerit: *Ante illum talem in Belgio non habuisti,*  
*nec post illum habituri es.* Firma eum fuisse memoria, etiam  
in infirma aetate, scribit Valerius Andreas; Isaacus vero Bullar-  
tus refert (83) senem nihil fuisse oblitum, quod legisset iuuenis.  
Non solum vero Belgium tam memores lureconsultos tulit,  
quales haec tenus Baertius, Modius, Molinaeus, Mudaeus a nobis  
laudati sunt, sed Germania quoque, praeter alios, ostentare  
potest Petrum MULLERVM, celebrem apud lenenses LL.  
doctorem, qui, vt verbis clariss. Auracheri (84) utar, *cum Lenae*  
*Georgio Adamo Struviu publice parentaret, non solum ultra horam in-*  
*tegram Panegyricum memoriter dictum produxit, sed etiam singula*  
*viri scripta, imo omnes Dissertationes, numero ad CXLVIII, mirum*  
*dictu! additis Respondentium nominibus, & illo, quo habitae sunt,*  
*anno, ex memoria, nibil baestans, tanquam penu quodam protulit.*  
Dicerem etiam de M. Antonio MURETO, quem summa  
valuisse memoria testatur Scaliger (85); sed tollenda tandem manus  
erit de tabula. Finiam igitur in Cornelio MVSSO Italorum  
Chrysostomo, Praefule Bitontino, A. 1574. mortuo, quo nemo  
fere vnuquam Italorum magis ad concionandum aptus natus,  
nemo magis Pontificum variorum votis expeditus fuit. Vi-  
uido enim ingenio & memoria tam fideli a natura praeditus  
fuisse legitur (86), vt iam in ipsa puerili aetate, quemcunque  
concionantei audiuisset, eius non tantum verba omnia memo-  
riter referre, sed omnes etiam gestus ita felici imitatione expri-  
mere

(83) Dans son Academie des Sciences & des Arts T. I. L. III. p. 272. Valerii Andreeae locus

est in Biblioth. Belg. p. 254.

(84) Quaeille accepta refert Praesidi suo, clariss. Baiero, loc. cit. p. 54.

(85) In Scaligerius p. m. 263.

(86) Vide Iosephi Musi Vitam Cornelli Musi Italice scriptam; Imperiale in Musco p. 67. sq.  
aliosque a Koenigio citatos in Bibliotheca; prae omnibus vero Baylum T. II.  
Dictionar. p. 2166.

mere potuerit, vt admirantibus omnibus, non aliena reddere,  
sed sua proferre videretur.

Habes, Lector beneuole, memoriae diuinioris exempla  
centum, iino, ni fallor, plus centum; adeo vt debitum soluisse,  
& numerum proinissimum, quem his schedis praescripsi, iam im-  
pleuisse videri possim. Attamen cum ex ipsa nominiū serie  
facile cognoscas, post hanc centuriam supereſſe alios, in ſubſidiis  
adhuc collocatos, ſpondeo, ſi vitam Deus & facultatem con-  
ceſſerit, me illis quoque, in conſpectum tuum educendis, non  
defuturum.

Nunc pro eo verba facienda ſunt, cuius conatibus quali-  
cunq[ue] hac ſcriptione proludere volui, iuuene eloquentiae &  
Musicae ſtudioſiſſimo, in qua vtraque arte magnae ſunt memo-  
riae partes (87). Me ſcilicet interprete *Vos*, quotquot Stadae  
eſtis, *literarum Praefides ac Fautores*, compellat

**HENRICVS CLEMENS VHLENHOFF**  
ciuiſ noſter, & ſcholae per annos XV diſcipulus conſtantiffiſſimus,  
ob vitaे honeſtatem, literarum amorem, Musicaeque elegan-  
tioris peritiā nobis apprime commendatus. Is, aetate iam  
ſatis matura, cum in Academiam cogitat, officii ſui eſſe intelligit,  
abitum quam decentiſſime parare, & edito priuſ doctrinae  
ſpecimine, Nutriuſ pietatem, ſcholae memoriam ſui, patriae  
ſpem aliquam conſirmatam relinqueret. Itaque Musica arte  
ſemper delectatus, & coetui canentium, quem *Chorum* vocamus,  
haſtenus


---

(87) De eloquentiae quidem requiſitis ipſe ſummuſ artiſ sex Tullius in de opt. gen. orat. §. 2.  
carum, inquit, omniū rerum, ut aedificiorum, memoria eſt quiaſ fundaſtum,  
lumen artio. De Musica vero Aristoxenus: ἐξ δέ γάρ τούτων τῆς μυθοῦ  
σύνετι εἴς iv, αἰδοῖος τε καὶ μημένης. αἰδοῖος μὲν γάρ δέ τὸ  
γνόμονεν μημένεν δὲ τὸ γεγονός. pag. 31, edit. Meuff,


haec tenus praefectus, in eo argumento experiri voluit, quod a  
studiis suis non esset alienum, scilicet

*de admirandis Musicae*

oratione Germanica dicturus. Ego vero, pro eo affectu, quo  
iuvenci optimo bene cupio, nihil magis in votis habeo, quam ut  
numero virorum spectatissimorum concio oratorem circum-  
fundat. Quapropter Vos omnes, *Patroni ac Amici*, ad  
diem dictam quam officiosissime in publicum nostrum auditorium  
conuocatos velim. Ex vestra enim affluentia non unus  
duntaxat orator, sed gymnasium; non gymnasium, sed res-  
publica literarum vniuersa gaudebit, & fausta quaevis sibi omina-  
bitur. Scripti Stadae VII. Id. Mai. A. C. 15 CC X.








No 113.  
8 80



M. L.

monibus, innotescit  
e amabilis



XXX.  
**POLYMNEMONES**  
SIVE  
**MEMORIAE**  
**DIVINIORIS**  
EXEMPLORUM PLVS CENTVM  
EX VARIA  
PRAESERTIM ERVDITORVM HISTORIA  
DEPROMTORVM  
**CONTINVATIO**  
**ALTERA**  
QVA AD  
**ORATIONEM PVBLICAM**  
**IN GYMNASIO STADENSI**  
AD ID MAI HORIS POST MERIDIEM CONSVETIS  
BENEVOLE AVDIENDAM  
QVANTA DECET OBSERVANTIA ET HVMANITATE  
INVITAT  
**MICHAEL RICHEY**  
RECTOR  
STADAEC OPERIS HOLVVEINIANIS  
A CIO IO CC X